

Andreas Kratander¹⁾ an Vadian.

(Basel.) 1520. März 9.

Bestätigung einer Sendung von 6 Exemplaren des Pomponius an Vadian. Dank für seine Empfehlung und Bitte, ihm sein Wohlwollen zu erhalten.

S. D. Habes iam sex Pomponios a me proxime missos, virorum humanissime; quanquam Lucas ipse, ut binos duntaxat tibi darem, voluit. Cæterum, ut ingenue fatear, gratissima mihi fuit tua meæ in Pomponio excudendo diligentiae commendatio. Nihil enim dubito, quin et alii nunc te laudatore huiusmodi operam meam probaturi sint. Enimvero non parum dispendii hoc in opere patior, quoniam pretium, quod Lucas pollicitus est, meis impensis respondere non potest. Nam inter nos conventum est, priusquam exemplar utrique offerebatur, adeo confusum, ut nosti, ut multo maiores expensæ, atque coniiiebam, insumptæ sint, quibus tamen parere omnino nolui, ne minus eleganter minusque castigate in multorum manus prodirent tuæ exactissimæ vigiliæ. Semper ergo Cratandrum tui amatissimum redama omniaque illum, quæ potest, amicitiae officia, in te collaturum constanter tibi persuade. Vale. IX Martii, anno MDXX.

And(reas) Cratander.

Domino Ioachim o Vadiano, apud divum Gallum, medico expertissimo doctissimoque suo etc.

¹⁾ Von *Andreas Kratander*, Buchdrucker in Basel, liegen in unserer Sammlung 15 Briefe (wovon 2 in Bremen) vor aus den Jahren 1520—1535.